



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard


Lvgdvni, 1654

Tractatvs IV. De aliis speciebus vniuersalitatis physicæ, & à parte rei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

hoc est cuius fundamentum sit aliquis positius actus intellectus, plura vt radicaliter vna, ac similia respiciens, & ab eis vnitatem hauriens formalem, & proximam, quam postea in illa reiciat, ostensum est supra tract. i. huius libri cap. 2. ad finem vtque latius ostendendum infra, cum egerimus de vniuersali per intellectum, & modo, ac ratione, qua per hunc construitur: Ruit ergo contraria doctrina fundamentum, ac basis, cui potissime innititur.

18 Rursus eius assertores, quod aiunt, ad homines impugno. Ipsi siquidem omnem indeterminationem, ac disunctionem à parte rei reiciunt, nullamque non ab intellectu proficisci existimant. Quo supposito, sic argumentor; vniuersale debet esse in pluribus diuisiue, nec sufficit, si in pluribus inferioribus collectiue sumptis reperiatur, aliàs aqua erit vniuersale respectu suarum partium actualium, cum per veram identitatem sit in eis collectiue sumptis, vt nemo potest inficiari: sed cumulus ille humanitatum, nec est; nec esse potest iuxta aduersarios in Petro, & Paulo diuisiue sumptis, hoc est in eorum quolibet seorsim, & independentem ab alio non enim indeterminatè, & disunctiue usurpatus, cum ipsi disunctionem, & indeterminationem quamuis à parte rei refutent, eique statui prorsus contrariam censent; non etiam determinatè, & copulatim acceptus; qui enim fieri potest, vt ea ratione indiuiduum aliquod hominis totam naturam humanam à parte rei complectatur, cum ea sit essentialiter per plura dispersa: Cumulus igitur ille à parte rei non est vniuersalis. Alia est eius ratio, prout est obiectum intellectus: nam quatenus tale in singulis indiuiduis reperibile est, & de singulis prædicabile, quod à natura intellectus nostri proficiscitur, qui collectionem illam formaliter, aut æquiuallenter disiungere, & indeterminare valet, si cut oportet vt ea possit tota de singulis indiuiduis prædicari, eisque inesse.



TRACTATUS IV.

De aliis speciebus vniuersalitatis
physicæ, & à parte rei.

CAPVT I.

De vniuersalitate denominatiua.

1 **H**oc est ea, quæ visitur: vbi forma aliqua denominans est in pluribus subiectis vna: Porro, vt eam exponam, & defendam, in primis est notandum, posse Deum vnam eandemque albedinem in pluribus subiectis collocare. Ita Caietanus 3. p. q. 3. art. 6. & Conimbricenses tom. 1. log. q. 8. art. 4. vbi etiam aiunt, neminem id inficiari: & quidem merito; haud enim est in eo maior repugnantia, quam in hoc, quod Deus absoluat albedinem ab omni subiecto, quod posse euenire, constat ex Eucharistiæ mysterio. Notandum est secundò, tum futura plura alba, vt latè à nobis probatum est supra lib. 3. huius operis tract. 3. cap. 6.

2 Quibus positis, sic argumentor: Vna, eademque albedo in multis albis v. g. tribus per veram

identitatem reperiri potest, nimirum, si Deus per miraculum eam in tribus constituat subiectis; ea ergo albedo à parte rei vniuersalis esse potest. Quod enim per inadæquatam tantum identitatem in tribus albis reperiretur, non obstat: nam etiam animal in communi tantum inadæquatè cum homine, & equo identificatur, & tamen eorum intuitu est vniuersale. Rursus quod non essent tunc tres albedines, sicuti foret vna, haud magis obest: nam essent tres albedines in concreto, cum albedo in concreto sit album, ac tunc darentur tria alba: aliundè verò esset tunc vna albedo in abstracto: hoc autem ad ad vniuersalitatem albedinis eo in euentu sufficeret, alioqui homo v. g. non erit vniuersale per intellectum, siquidem tantum est vnus in abstracto, seu prout abstractus à singularitatibus, multiplex vero solum in concreto, siue prout singularitates concernit. Demum, quod albedo non posset tunc prædicari de pluribus albis, falsumque dictum foret, aliquod album trium esse albedinem, non obstat: etenim albedo per modum vnus cum subiecto de pluribus albis prædicari posset, hoc pacto, hoc album est album, & illud, illudque album est album, quod ad vniuersalitatem albedinis sufficeret, eo in euentu: Tum, quia particula, *omnis*, est syntagorema vniuersale, cum tamen se solo prædicari, aut subiici non possit, sed solum in consortio alterius, quod saltem subintelligatur: tum etiam, quia aliàs species non erit vniuersale, cum numquam prædicari possit absque eo, quod simul cum illa genus, taltem implicitè, prædicetur.

3 Ceterum id genus vniuersale, quod modò explicatum est, negant Balthasar Tellez 1. p. summæ philosophicæ disp. 5. in logicam sect. 3. & Conimbricenses q. illa 8. in præfationem Porphyrij art. 4. paulò suprà citatis, vbi etiam allegant Scotum in 1. dist. 1. q. 2. a. 2. & Bargium super eundem Scoti locum. Pro quibus opponens primò, ex nostra sententia sequi, vniuersale à parte rei, non tantum de possibili, vt aiunt, & in alia, eaque miraculosa rerum serie, sed de facto, ac citra miraculum. Sequela probatur: namque, si posita diuinitus vna numero albedine in multis subiectis, ea, aut, si mauis, album esset vniuersale, quidni etiam modò, actio cognitio, vnio, forma, sint vniuersales à parte rei, & ante omnem considerationem intellectus; quandoquidem earum quæuis vna existens, nihilominus plures tribuit denominationes pluribus subiectis, vt cum per eandem actionem, aut plures causæ dicuntur agentes, vel plures effectus producti; aut per eandem cognitionem plura obiecta cognita; aut per vnionem vnam, & eandem plura extrema vnita; aut denique per eandem formam v. g. animam rationalem omnia corporis membra informata, & animata. Consequens autem est absurdum: namque vniuersale haud dari à parte rei, saltem in hac rerum serie, tuentur Aristoteles lib. 1. de anima textu 8. *Vniuersale inquit nihil est, aut posterius est*, subaudi actibus intellectus: Aueroës lib. 12. metaph. comment. 27. *Vniuersalia, aïens, non habent esse extra animam*: Auicenna lib. 5. metaph. his verbis, *equinitas secundum se, (id est à parte rei) tantum est equinitas, non vna vel plures*: quod, si non vna, eo in statu, certè, nec vniuersalis: B. Thomas opusculo de ente, & essentia cap. 4. & 1. p. q. 8. a. 1. & 7. metaph. lect. 1. 3. eiusque sectatores omnes, præsertim verò Caiet. citato loco de ente, & essentia, Capreolus in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. Sotus q. 2. vniuersalium, Soncinas 7. metaph. q. 40. Egidius in 1. q. 2. prologi, & dist. 12. p. 4. item extra scolam B. Thomæ, Durandus

Durandus in 1. dist. 3. q. 5. & passim alij: Ex nostris quoque Suarez tom. 1. met. disp. 6. sect. 5. Rubius q. 4. vniuersalium, Cardinalis Toletus de vniuersal. Conimbricenses, Hurtadus, Arriaga, Tellez, & plerique alij: Quamuis autem Antonius Andreas 7. met. q. 18. & Ioannes Monlorius speciali disp. de hac re cap. 5. & 6. alique Scotistæ vniuersale à parte rei admittant, id parum nobis prodesse videtur: hi namque authores non sine distinctione aliqua graduum formali, siue ex natura rei ex huius parte concedunt vniuersale: nos verò illud concedimus à parte rei, circumscripta omni distinctione ex natura rei, imò etiam virtuali. Respondeo tamen concessa sequela. Consequens autem haud est absurdum, haud aduersus tot, tantosque scolasticos, quippe quibus negant vniuersale à parte rei, vel absolute, vel saltem, nisi admissa prius aliqua distinctione graduum, sermo est, non de vniuersali denominatione coalescente ex forma vna, & multis subiectis, sed de aliis, qualia sunt homo v. g. respectu Petri, & Pauli, animal intuitu hominis, & equi, albedo contemplatione huius, & illius, alique id genus.

4 Obiicies secundò ad vniuersale quodlibet requiri inferiorum multipliciter: atqui albedo posita in multis subiectis haud propterea esset in se multiplex: ergò nec vniuersalis. Respondeo, albedinem multiplicatum iri in concreto, siue, vt loquuntur alij, adiectiuè, si collocaretur in tribus subiectis: tunc enim forent tria alba: Quamquam autem hæc multiplicitas albedinis in concreto sumpti siue albi esset tunc realis inadequata, & cum aliqua identitate coniuncta, nihil obstat: tum, quia diuinarum personarum distinctio haud est sine earum identitate aliqua in tertio; & tamen persona vt sic earum respectu est vniuersale: tum, quia intuitu formalitatum sola ratione distinctarum, ac realiter prorsus earundem potest esse aliquod vniuersale: quorum alterum ostensum est à nobis supra tr. 1. c. 3. & alterum c. 4.

5 Et quidem iuxta Conimbricenses, & Balthasarem Tellez vbi supra creator est vniuersale contemplatione huius, & illius, quamuis non sit, nisi vnus creator, Deus scilicet optimus maximus, eò videlicet, quod concretum istiusmodi sit pro formali, videlicet penes relationem creatoris haud dubie multiplicem, multiplex, vt vt pro materiali sit vnum: A fortiori ergò, si diuinitus plura subiecta per eandem albedinem essent alba, hæc multitudo sufficeret ad vniuersale: tum enim album esset multiplex absolute, & nulla sine adiectione, cum tamen fateantur aduersarij creatorem modò non esse multiplicem, nisi cum hoc additamento, formaliter, aliove simili: esset quoque in eo euentu multiplicitas in vniuersali à pluribus albis abstracto penes id, quod album, aut semper, vt plures putant, aut certè sæpius importare solet in recto, cū tamē creator de obliquo duntaxat multiplicetur in aduersariorum principiis.

6 Obiicies tertio: albedo est singularis, vtcunque in multis collocata subiectis diuinitus, ac per miraculum: non ergò vniuersalis. Consequentia liquet, quia vniuersale, & singulare opponuntur. Antecedens etiam: quia id est, quod supponitur à nobis, vnam scilicet numero adeoque singularem albedinem multis subiectis à Deo posse donari. Respondeo, eam fore tum singularem, & vniuersalem, sed diuersimodè: esset namque singularis sumpta in abstracto tantum, siue prout albedo, vniuersalis verò, quatenus accepta in concreto, simul, & abstracto, siue prout album, & albedo.

7 Obiicies quartò: album importat intrinsecè, & essentialiter solam albedinem, extrinsecè verò, & duntaxat connotatiuè subiectum: cum enim hoc sit substantia, qui potest pertinere quidditatiuè ad album, quod est in prædicamento qualitatis: nisi verò eadem res possit esse simul in duobus prædicamentis, quo tamen nihil dici posse videtur absurdus: iam ergò fieri nequit, vt album sit vniuersale, ea facta hypothesi, de qua sermo hactenus: nam quod est vniuersale, debet intrinsecè, & in se esse quodammodò multiplex: alioqui, si extrinseca multiplicitas, ac tantum connotata ad id sufficiens est, quidni Deus sit vniuersalis merito vnitatis suæ, nec non multipliciter creaturarum, quam connotat, ac respicit?

8 Sed inprimis album includere intrinsecè, & essentialiter, non tantum albedinem, sed etiam subiectum: à nobis supra demonstratum est lib. 3. huius operis tract. 3. cap. 3. Quod autem obiicitur in contrarium, ita fore, vt album pertineret quadantenus ad prædicamentum substantiæ, soluendum est à nobis in metaph. lib. 3. tract. 1. cap. 1. ad eius finem. Rursus permitto, album haud includere intrinsecè subiectum: at certè includit, tum albedinem, tum eius inhærentiam, vt nemo non fatetur, & meritò quoniam albedo separata ab omni subiecto, & nulli inhærens haud esset propriè album. At in hypothesi, qua de agimus, albedo multiplicem haberet inhærentiam, pro multiplicitate subiectorum, quibus inesset: iam ergò esset album multiplex, sicut ad vniuersale oportet, intrinsecè scilicet, & essentialiter, & non extrinsecè tantum, & connotatiuè.

C A P V T II.

De vniuersalitate causali & relatiua.

9 Vniuersalitas causalis ab aliquibus adinuenta neoterice est, ea quam causa quævis, præsertim verò prima, & omnipotens suis tribuit effectibus. Cuius enim, inquiunt, cognitio vna confusè representans plura, ea vnum, & vniuersale denominet, & omnipotentia Dei maximè vna, omnesque res creatas, & creabiles continens eas vnum, & vniuersale nequeat denominare: Et quidem creaturas denominari quodammodò ab omnipotentia creatoris innuisse videtur B. Dionysius cap. 15. de diuinis nominibus in hæc verba; *sicut linea à centro in circumferentiam egrediuntur, & in centro sunt vnum: & quo magis à centro distant, eò plus distinguuntur, ita creata omnia, quæ à Deo prodierunt, in Deo vniuntur, & sunt vnum: quo vero plus à Deo recedunt multiplicatione quarundam ex aliis, eò plus diuiduntur quoad esse, quod habent in ipsis.* Hoc autem ipso, quod creaturæ sint vnum per denominationem ab omnipotentia creatoris, non est, cur in vniuersale quoddam vi huius vnitatis non coalescant: ex se namque multipliciter habent: præter hanc autem, & vnitatem nihil aliud ad vniuersale requiritur, quippe quod definiri solet, vnum multa. Atque de hoc vniuersalis genere locutum fuisse censent hi recentiores Platonem, cum asseruit reperiri vniuersalia quædam separata à parte rei, & ante omnem intellectus nostri considerationem.

10 Cæterum hanc opinionem paucis arbitrari placitum: mihi certe haud aridet. Primum, quia cognitio, per quam distinctè, & clarè cognosco Petrum

Petrum v.g. & Paulum, non facit eos vniuersale: & tamen est vna in se, & eos continet intentionaliter: est igitur omnipotentia Dei sit in se vna realiter, & creaturas omnes distincte contineat, haud propterea vllam eis tribuet vniuersalitatem. Secundò, quia cognitio confusa, vt obiter exemplum, quo potissime nituntur aduersarij, demoliar, ideo confert vnitatem, & cum ea vniuersalitatem rebus sibi obiectis, quia inter eas non distinguit, siue, quia nullam earum prout ab altera condistinctam, ac sine illa repræsentat. Atqui omnipotentia Dei, & quauis alia causa distinguit suos inter effectus, estque cuiusvis prout condistincti à quocunque alio, ac sine illo productiua: haud ergo eis vnitatem vllam, aut vniuersalitatem imperit. Tertio, & paulò aliter: Cognitio confusa est rerum, in quas fertur duntaxat repræsentatiua sub ratione aliqua communi, cum tamen causa, quæ ea cunque sit haud sit productiua effectuum suorum, nisi in particulari, ad easque ita sumptas, & non tantum ad aliquam rationem eis communem referatur: haud ergo in præsentī recte arguitur à cognitione ad causam physicam.

29 Quartò, vt constat, quam parum profit aduersariis testimonium Dionysij, lineæ omnes dicuntur quodammodo vniri in centro suo: at non propterea quispiam dicet centrum lineis à se exeuntibus vniuersalitatem tribuere vllam: quamuis ergò creata omnia dicantur veluti vnita in Deo reperiri, non ob id vlla eis vniuersalitas ab omnipotentia creatoris proveniet. Quintò, vt quidpiam tribuat vnitatem vniuersalem, opus est id, cui tribuitur dici absolute vnum, & sine vlla limitatione: quo pacto cognitio confusa, & vniuersalis, vt obiectum multiplex denominat absolute cognitum aliqua cum confusione, sic etiam illud absolute denominat vnum. At creata omnia haud denominantur vnum quid absolute propter eorum in Deo continentiam, sed cum additamento quodam, videlicet *vnum in omnipotentia creatoris*: quod quidem non tam est ea esse absolute vnum, quam omnipotentiam esse vnam: vti, cum dicitur creaturas omnes, antea, quam fierent, in Deo extitisse, & vixisse iuxta illud Ioan. *quod factum est in ipso vita erat*, haud sensus est, eis vitam aliquam, aut existentiam conuenisse, sed potius soli Deo earum creatori.

30 Tandem quod huius vniuersalis haud vnquam venerit in mentem Platoni, neminem reor negaturum, nisi, qui in eius scriptis parum sit versatus: certè in eis nè vnum reperies testimonium, quod huic commento faueat. Quid autem tantus Philosophus intellexerit nomine idearum vniuersalium à singularibus quodammodo separatarum, supra tractatu secundo, capite primo explicuimus, quantum ex variis eius locis coniectura potuimus assequi.

31 Quod attinet ad vniuersale relatiuum, aliqui Doctores censent, possibile esse vniuersale à parte rei sine vlla distinctione graduum, eò quod humanitas Petri v.g. & humanitas Pauli à parte rei sit vna, & multiplex: multiplex, vt exploratum est, vna, eò, quod similitudo sit vnitas saltem impropria, teste Aristotele 5. metaph. vtraque autem humanitas fiet inuicem similis: quod, si hæc vnitas positiua, licet impropria ad vniuersale non sufficiat, certè nè per intellectum fieri poterit vniuersale: nam per eum res distinctæ haud sunt, nisi improprie vnum: quis enim dicat, Deum, & lapidem esse proprie, ac strictè vnum, eo quod intellectus ab eis rationem communem substantiæ, vel

entis abstrahat? Porro hæc vniuersalitas à parte rei merito dici potest relatiua propter id, quod eius forma, videlicet vnitas sit relatio prædicamentalis similitudinis. Verum displicet hæc etiam sententia: Primum, quia vnitas formalis ad vniuersale requiritur, & fundamentalis non sufficit, vt per se patet, vtque omnibus est in confesso: & quidem alias vniuersale, non per vnum in multis, sed per multa breuius definiri posset, & deberet, siquidem multitudo omnis vnitatem aliquam fundamentalem continet, & essentialiter includit: at similitudo est vnitas fundamentalis, non formalis, & actualis.

32 Alia quoque de causa mihi non probatur ea opinio: quoniam aggregatio illa humanitatum vi similitudinis physica ad vnitatem quandam coacta haud est de aduersariorum sententia in omnibus indiuiduis speciei humanæ, nisi collectiue sumptis, haud est in eorum quolibet seorsim ab alio, sicut ad vniuersale oportet. Quæro enim, vt sit à parte rei? certè non disunctiue, & indeterminatè usurpata: hi enim, quibuscumque lis, nullam à parte rei indeterminationem, aut distinctionem agnoscunt: non etiam copulatiue, ac determinatè accepta: id enim esset, nullam humanitatem esse extra Petrum, nullam non in illo, idque destinatè, quo tamen, quid magis stultum? Tertio aduersarij hominem in communi negant esse vniuersale respectu veri, & picti: at ambo sunt à parte rei similes analogice in ratione hominis, adeoque vnum quodammodo: vnitas ergò secundum quid, & impropria haud semper sufficit ad vniuersale. Quartò tandem similitudo, & dissimilitudo semper coherent cum distinctione graduum, vt superius visum: perperam ergò docent aduersarij, non distinctis gradibus metaphysicis, vi tamen solius similitudinis reperiri vniuersale à parte rei.

33 Atque ex dictis constat primò, nullam esse rationem, qua nituntur aduersarij: nam inter actum intellectus, & similitudinem physicam hoc interest, quod actus intellectus faciens vniuersale, rebus illis, quas confuse cognoscit vnitatem formalem tribuit, & non fundamentalem, cum potius hanc in eis supponat. At similitudo prædicamentalis haud facit similia vnum formaliter, haud, nisi fundamentaliter tantum. Quid mirum ergò, si more actus intellectus ad vniuersale non sufficiat? Constat secundò, nullam esse replicam eiusdem argumenti, quam sic quidam instaurant: maior est similitudo physica, quam intentionalis: illa enim est intrinseca, & vera similitudo, hæc extrinseca, & adumbrata: posterior ergò, cum ad vniuersale sufficiat, quidni, & prior? constat, inquam, nihil esse in hac replica momenti: siquidem ad vniuersale attendi magis debet ad vnitatem, quam ad similitudinem; vnitas autem perfecta ab intellectu actu, & similitudine intentionali maior est, quam, quæ proficiscitur à similitudine physica: quid ergo interest, si hanc similitudinem esse maiorem illa in ratione similitudinis? Denique constat, aliam etiam esse rationem dissimilitudinis inter vtranque similitudinem, quod ad præsens attinet: namque de aduersariorum principiis similitudo physica à parte rei haud est coniuncta cum indeterminatione, ac disunctione ad vniuersale, vt toties dictum superius est requisita; cum tamen intentionalis similitudo, actusque intellectus nostri confusus possit, ac soleat distinguere, atque, vt sic dixerim, indeterminare.